

Friedrich-Universität Bützow

**Rector Et Concilium Academiae Fridericianae Buetzoviensis Civibus Servatoris  
Festos Natales Dies Pie Obeundos Indicunt, Et Simul De Ebionæorum Dogmate,  
Ad Illustrandas Passim Antiquissimas Theologiae Christianae Rationes, Ulterius  
Disseritur**

Buetzovii: Typis Johann. Gotth. Fritzii, [1767?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1837137358>

Druck Freier  Zugang



Mkl h

3468



Landesbibliothek  
Mecklenburg-Vorpommern  
Günther Uecker

[https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1837137358/phys\\_0001](https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1837137358/phys_0001)



ZfB ME

05. Aug. 1999

● entsäuert

Verf. dieser 7 Bützower Festprogramme  
ist Christian Albrecht Döderlein.

Mull. h.  
3468

6  
RECTOR ET CONCILIUM  
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ  
BUETZOVIIENSIS


CIVIBUS

SERVATORIS  
FESTOS NATALES DIES

PIE OBEUNDOS

INDICUNT,

ET SIMUL DE EBIONÆORUM DOGMA-  
TE, AD ILLUSTRANDAS PASSIM ANTIQUISSIMAS  
THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ RATIONES,  
ULTERIUS DISSERITUR.



BUETZOVII

TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.  
ET ACADEM. TYPOGR.

*Wesmader 1776*


LECTOR ET CONCILIUM  
ACADEMIE FRIDERICIANAE  
FRIBURGENSIS  
CIVIBUS  
SERVATIS  
FESTOS NATALES DIES

THE OBSERVING

THE SPIRIT OF THE  
THE ADULTERATION OF THE  
THE ADULTERATION OF THE  
THE ADULTERATION OF THE



THE ADULTERATION OF THE  
THE ADULTERATION OF THE  
THE ADULTERATION OF THE  
THE ADULTERATION OF THE



I. N. J.



I.

**R**edeamus nunc quidem ad *Ebionæos* nostros, quorum gratia tota ista, nec, ut puto, inutilis digressio superiori commentatione a nobis instituta fuit. Ad ipsorum enim rationes recludendas, ista reliquorum factionum judaizantium theologia longe maximum mihi videtur asserere præsidium. Etenim quis sibi in universum facile persuadeat, cum omnes isti, qui ex judaismo ad christianam se applicaverant religionem, apertissime gentis suæ antiquam docendi formam retinerent, & in cunctorum formulis longe clarissima judaicæ, quæ tunc temporis obtinebat, theologiæ vestigia appareant, in aliis purius fideliusque, in aliis ita, ut de gnosticis ineptiis multum admisceretur, adeo ut amissa quidem & posthabita pura de unione personali doctrina, aliqua tamen Messia & præexistens divinitas sine ulla controversia a sin-



gulis agnosceretur; quis, inquam, sibi persuadeat, *Ebionæos*, plebejam & illiteratam judaicam turbam, quæ priscis gentis suæ institutis & præceptis adeo acriter inhærebat, ut illis vel ipsa Apostolorum decreta postponerent, in hoc gravissimo doctrinæ capite & loco a majoram institutione ita vehementer recessisse, ut istud plane repudiarent, omniaque statuerent contraria?

II. Huic argumento ingens robur atque vis ex eo accedit, quod priscorum scriptorum perpetua fere consuetudo sit, *Ebionæos* nostros disertis verbis cum illis reliquis judaicis factionibus componere, familiaque plane ipsis tribuere decreta & instituta. Ad *Cerinthum* quod attinet, non solum vulgaris inter priscos Christianos opinio obtinebat, S. *Joannis* Evangelium tum isti, tum *Ebionæis* ad confirmandam veram de divinitate Messix doctrinam oppositam fuisse, vid. *Hieronymi catalog. script. eccles.* c. IX. p. 31. *Edit. Fabric. Epiphan. Hæres.* LI. p. 423. inde magnam similitudinem inter utrosque intercessisse ex horum auctorum sententia, facile colligitur: sed & constantè fere prisci scriptores *Ebionem* istum, quem nonnulli statuebant hujus factionis auctorem esse, & *Cerinthum* conjungentes, *istum hujus successorem*, & *per omnia fere adstipulatorem* fuisse, iisdemque erroribus ecclesiam turbasse asseverant. Vid. *Hieronym. Dial. contra Lucif.* C. 8. it. *append. ad Tertull. de præscript. opp.* p. m. 109. Sic & *Philafter de hæres.* c. 37, *Hebion, discipulus Cerinthi*, inquit, *in multis ei similiter errans, salvatorem nostrum hominem de Joseph natum carnaliter æstimabat, nihilque in eo divinitatis fuisse docebat cæt.* Ex ipsa orationis connexionè manifestum esse arbitror, quæ de negata divinitate salvatoris *Ebionæis* crimini dat *Philafter*, eo sensu esse accipiendâ, quo *Cerinthus* hunc errorem erravit. Etenim cum dicat, *Ebionem Cerintho in multis similiter errasse*; ea, quæ sequuntur, aperte nihil aliud sunt, quam exempla quædam, quibus in locis & capitibus ista similitudo versata sit. It. *Jo. Damascenus de hæres. opp.* p. m. 577. de *Ebionæis: eadem, quæ superiores, Cerinthus & Nazaræi,*  
doce-

docebant. Conferantur, quæ a viris doctissimis, *Campeg. Vitrin-  
ga observat.* f. L. V. C. X. §. 7 & 9. & *Frid. Ad. Lampio Proleg.  
comment. in Joan.* L. II. C. III. §. 38, ff, ad *Cerinthi & Ebionæorum*  
consensum demonstrandum disputata sunt. Etenim, quamvis in  
eo nimii fuerint hi duumviri, quod hosce homines plane in  
omnibus consensisse, *Ebionæosque* omnino illud ipsum, quod  
*Cerinthus* de divina Messia natura statuisset asseverant; cum hos  
quidem illo multo meliores fuisse, infra ostensuri simus: ma-  
gnam tamen similitudinem inter utrosque intercessisse, priscos-  
que Christianos *Ebionæorum* de Christo dogma, eo circiter sensu,  
quo *Cerinthi*, interpretatos esse, extra dubitationem ponunt.  
Etenim patres, cum *Ebionæos* ob causas commentatione nostra  
*prima* allatas vehementer averfarentur, non adeo ad istud discrimen  
videntur attendisse, quod *Ebionæi*, æque ac *Nazaræi*, divi-  
num istum Messiam super Messiam hominem descendentem, ve-  
rum Israël Deum statuerent, atque hac in parte a *Cerinthi* impi-  
etate essent longissime remoti: sed illud præcipue urgebant, in  
quo *Ebionæis* cum *Cerintho* omnino conveniebat, ut non solum  
coniunctionem divinæ istius naturæ cum Jesu homine baptismi  
demum tempore accidisse putarent, sed hunc ipsum hominem  
Jesum naturali modo reliquorum hominum dicerent natum esse,  
quæ in re *Nazaræis* multo pejores erant. Idque hoc minus mi-  
rum videri debet, quod patres ipsos *Nazaræos*, postquam eos in  
hæreticorum catalogum referre cœperunt, cum *Cerintho* socia-  
re, eademque illis, ac huic, decreta tribuere, haud dubitarunt.  
Ita *Epiphanius*, Hæref. XXIX, cap. I. συγχρονοί ησαν ἀλλήλοις,  
καὶ ὁμοία κερτήνται τὰ φρονήματα, eadem ætate, inquit, vixe-  
runt, *Cerinthiani & Nazaræi*, & in similibus dogmatibus opini-  
onibusque versati sunt. Nimirum quia personalem unionem di-  
vinæ & humanæ naturæ solverent *Nazaræi* æque ac *Cerinthus*;  
ideo *Epiphanius* utrosque conjungit: quamquam cæteroquin &  
ipse, quod supra ostensum est, non ignoraret, *Nazaræos* veram  
Messia divinitatem multo melius *Cerintho* profiteri, & *Hiero-  
nymus*

*nymus* præcipue ingens istud discrimen apertissime ob oculos ponat.

III. Cæterum ad demonstrandam istam, quæ inter *Cerinthum* & *Ebionæos* intercescit similitudinem, præcipue celebris iste *Irenæi* locus pertinet, *advers. Heres.* L. I. C. XXVI, qui secundum vulgarem lectionem ita se habet: *qui dicuntur Ebionæi, consentiunt quidem* (cum orthodoxis Christianis) *mundum a Deo factum: ea autem, quæ sunt erga Dominum, non similiter ut Cerinthus & Carpocrates opinantur.* Jam pridem b. *Dammhauerus* noster in *Christeid.* p. 522, hunc locum in mendo cubare suspicatus, deleri iussit particulam negantem, *non*, & ita accipi *Irenæi* verba, ut in dogmate de Christo *Ebionæi similiter*, ut *Cerinthus*, putentur errasse. *Pearsonius* deinceps, necessitatem emendandi loci itidem perspiciens, aliam affert medelam, & loco *non similiter*, legendum esse arbitratur *consimiliter*, in *vindic. Epist. Ignat. P. II. C. II. Patr. apostol. Coteler. T. II. p. 366. Edit. Amstelod. poster.* His duumviris postea doctissimi quique viri magno agmine assenserunt: ut *Jo. Ern. Grabi*us in *not. ad hunc Irenæi loc. Jo. Cotelerius in not. ad consit. apost. L. VI. c. 6. Thom. Itigi*us in *Dissert. de Hæresiarch. æv. apost. Sect. I. C. 6. §. 2. p. 56. f. Jo. Franc. Buddeus de eccles. apost. C. V. §. VI. p. 488. f. Jo. Ge. Walch Hist. eccles. T. I. Sæc. I. C. IV. sect. I. §. 14. p. 507. Jo. Laur. Moshemius in Institut. Hist. Christ. maj. sec. I. P. II. C. 5. §. 20. p. 480. aliique. Binis tamen eruditus viri emendatio ista displicuit, qui vulgarem lectionem retinendam censent, *Ren. Masueto in not. ad h. Iren. l. & b. Jo. Alb. Fabricio in not. ad Philastr. de heres. C. 37. not. b. p. 82. f.* His per memoriæ quendam lapsus celebrer. *Walchius* Fil. in dem Entwurf einer vollständigen Historie der Ketzereyen, P. I. Sect. II. §. IX. observ. 2. p. 115, etiam b. *Moshemium* accenset; quo tamen nemo ingeniosius necessitatem emendationis demonstravit. Mihi quidem nullum propemodum dubium superest, quin vulgaris hujus loci lectio medicina indigeat, isque sensus in verbis *Irenæi* insit, quem*

quem emendatores inesse contendunt. Præterquam enim quod reliqui præfati scriptores, quos paullo superius indicavi, *Ebionæorum* dogma de persona Christi cum *Cerinthi* erroribus semper comparare & conjungere soleant; b. *Moshemius* imprimis ex ipso orationis apud *Irenæum* contextu & cohærentia l. c. ostendit, si sanus quidem verbis subesse sensus debeat, nullo modo eadem aliter accipi posse, quam ut *Cerinthum* & *Ebionæos* hoc in capite consensisse intelligamus. Etenim tum, quam in re dissentiant *Ebionæi* a *Cerintho* docere vult *Irenæus*, tum & quibus in capitibus utrique consentiant. Dissentiunt, inquit primum, de mundi hujus origine, quo in loco melius statuebant *Ebionæi Cerintho*, non ab inferiore quadam natura, ut iste quidem, sed a supremo Deo creatum esse mundum cum orthodoxis Christianis profitentes. Sequantur jam necesse est ea, in quibus consentiunt, verbaque, quæ sequuntur, quibus *Irenæus* exponit, quid de Christi persona docuerint *Ebionæi*, ita interpretanda sint, ut similitudo atque consensus inter *Ebionæos* & *Cerinthum* appareat. Unum his adjiciam *Tertulliani* locum, seu potius auctoris facti vetusti, qui *appendicem* ad *Tertullianum* de præscript. confecit. *Hujus*, *Cerinthi*, inquit, *opp. Tertull. p. m. 109, successor Ebion fuit, Cerintho non in omni parte consentiens, quod a Deo dicat mundum, non ab angelis factum: & quia --- legem esse proponit, scilicet ad excludendum evangelium, & ad vindicandum judaismum.* Videri possint hæc verba de ipso *Irenæi* textu descripta esse. Certe quod ad sensum attinet, cum *Irenæi* narratione plane convenire eadem, apparet. Docet hicce auctor, consentire equidem *Ebionæos* cum *Cerintho* in nonnullis, at non in omnibus. Jam vero, cum differte & data opera explicare vult, quid sit istud, in quo dissentiant; unum istud dogma proponit de origine mundi, quam secedentes a *Cerintho*, supremo Deo adscripserint *Ebionæi*. Huic addere videtur etiam illud, de necessitate legis judaicæ decretum, quod & hac in parte nonnullum inter *Ebionæos* & *Cerinthum* intercedat discrimen. Sed  
hac


hac in re sive jam verum dixerit auctor noster, sive erraverit, de quo in praesentia non disputo; istud tamen supra dubitationem omnem positum videtur, his duobus capitibus ex ipsius sententia totum *Cerinthi* & *Ebionaeorum* dissensum contineri. Ergo in reliquis, & in ipso de persona Christi dogmate consentientes illos ex ejusdem sententia fuerint, necesse est. Quod si igitur hunc auctorem cum *Ireneo* aperte committere nolumus; hujus quidem verba eodem sensu exponenda, textusque vulgaris apud *Ireneum* corrigendus est.

IV. Ad *Nazaraeos* quod attinet; ex ipsorum dogmate de divinitate *Messiae*, multa verisimilitudinis specie inferri posse, qualis fuerit *Ebionaeorum* hac in parte sententia, ex eo primum perspicuum est, quod, uti *priori* nostra *commentatione* ostendimus, utrique a *priscis* auctoribus tanquam ejusdem generis & originis homines describi, & isti horum *socii* vocari, caeterum vero omnis ipsorum dissensus praecipue in decreto de supernaturali conceptione hominis *Jesu*, & in paullo mitiori sententia de necessitate legis *mosaicae* poni soleant. Ex quo jam illud sequitur, ut in reliquis capitibus similia docuerint. Sed adsunt perspicua veterum testimonia, quibus *Ebionaei* expressis verbis affirmantur, exceptis istis duobus locis, in reliquis cum *Nazaraeis* omnino consensisse. Ita certe *Epiphanius*, *Hæres. XXX*, C. 1. *Nazaraeos*, inquit, *Ebion*, a quo *Ebionaei* dicti, proxime consequitur, eademque cum illis dogmata proficitur. Et paullo post: *Ebion ex Nazaraeorum disciplina prodit*. Ac quamvis deinceps ingentem errorum catalogum necitat *Epiphanius*, quibus *Ebionaei* pejores fuerint *Nazaraeis*; non solum tamen *Cap. II.* duo ista capita de naturali conceptione *Jesu*, & de necessitate absoluta legis, praecipuos esse istorum errores fatetur; sed & *Cap. III.* disertè adjicit, primis temporibus *Ebionaeos* in eo tantum potissimum errasse, ut *Christum e viri semine genitum affirmarent*, reliquos vero errores postea demum ab *Elcesaitis* accepisse. Quod quale sit, deinceps disputabimus: hoc loco

loco istud solum tenemus, *Epiphanio* teste primos *Ebionæos*, excepto potissimum isto de nativitate Christi errore, in cæteris rebus homines ejusdem generis disciplinæque & sententiæ, ac *Nazaræos*, fuisse. Liceat mihi hic unum adhuc locum *Origenis* afferre, qui in priori commentatione diligentiam meam effugit, ad demonstrandum vero, alterum istud *Ebionæorum* genus ab *Origene* inductum ipsos *Nazaræos* fuisse, pertinet. *Homil. XVII. in Luc. opp. T. II. p. m. 227*: *Ebionitæ*, inquit *Origenes*, *contradicunt signo, dicentes ex viro & muliere ita natum esse, Christum, ut nos quoque nascimur. Origenem* igitur probe intellexisse vides, *Ebionæos* proprie & simpliciter istos tantum vocari, qui supernaturalem Servatoris nativitatem impugnarunt. Habes itaque ipsum cum reliquis vetustissimis rerum christianarum scriptoribus consentientem, qui nullos alios norunt *Ebionæos*, præter istud hominum judaizantium genus, quod in hoc errore versabatur. Quocirca & intellexerit *Origenes* necesse est, aliter istos *Ebionæos*, quos nonnunquam commemorat, aliud quodammodo esse hominum genus, quos propter communem stirpem atque originem & aliquam in aliis dogmatibus similitudinem nonnunquam *Ebionæorum* nomine quidem complectitur, cæterum vero & ipse mitius tractat, & reliqui scriptores, quia longe meliores fuerint *Ebionæis* proprie sic dictis, plane intactos prætermittunt. Hi vero quinam alii esse possint, quam isti judaizantes Christiani, qui a posterioribus scriptoribus *Nazaræi* vocabantur, vix intelligere possum, si quidem, quæ de his *Nazaræis* memoriæ prodita sunt, cuncta explodere, omnemque priscorum auctoritatem & fidem abjicere nolimus. Etenim nec tota antiquitas christiana alios quosdam judaizantes Christianos novit, præter istos, quos ipse *Origenes* proprie *Ebionæos* vocandos esse intellexit, & illos, quos *Origenes* quidem nonnunquam communi *Ebionæorum* nomine comprehendit, a prioribus tamen eodem plane modo iisdemque dogmatibus discernit, quo sequenti tempore *Nazaræi* ab *Ebionæis* discerni solebant.

b

V. Ob-




V. Observemus hoc loco, quæ maximi momenti res est, omnes istos, qui primis temporibus ex judaismo ad christianam religionem ita accedebant, ut ob patriorum institutorum nimium amorem ipsa Apostolorum præcepta in nonnullis violare & posthabere non dubitarent, in his duobus gravissimis locis confensisse, Mosis legem non plane abrogatam, sed aliquo modo retinendam esse, & divinum *Messiam*, sive divinam istam naturam, quæ ante sæcula apud Patrem exstiterit, redemptorque hominum ut fieret destinatus sit, baptismi demum tempore super *Messiam hominem*, qui sit *Jesus Nazarenus*, coelitus descendisse, unionemque aliquam cum isto ad perficiendum redemptionis opus iniisse. Hoc posteriori loco theologiam gentis suæ tum temporis receptam pertinaciter retinentes, istud, quod Judæi de gloriosa *Schechine* apparitione tempore *Messie hominis* expectanda, disputare consueverant, cum super hunc sit descensura & in medio ejus habitatura, ad illustrem istam divinæ majestatis manifestationem in Jordane factam transferebant, atque tum temporis inaugurationem istam gloriosam accidisse asseverabant, qua *Messiam hominem* Judæi præcipiebant inaugurandum universonique populo demonstrandum esse. Solvebant igitur omnes hæc sectæ per corruptam istius temporis judaicam theologiam, unionem intimam & personalem divinæ ac humanæ naturæ, hominique Jesu exteriori tantummodo aliquam adstantiam *Schechine*, sive *cœlestis Christi* tribuebant, ut simili quodam, quamvis illustriori aliquatenus modo, quo prisci prophetæ, a Deo animatus & agitatus sit, nulla ratione vero *Jesus* homo & cœlestis Christus a primo conceptionis humanæ momento in unam personam coaluerint, aut hic ipse *Jesus* in sua singulari persona sit ipse ille superior Christus & Dei filius. Hoc vero totum ita proponebant, ut alii exclusis philosophicis subtilitatibus ea simpliciter retinerent dogmata, quæ a majoribus acceperant: alii contra ex philosophorum istius temporis præceptis multa admiscerent, theologiamque judaicam de divina *Messie* natura præcipue ad gnostico-

sticorum æonum inflecterent rationes. Uterque error, tum circa legis mosaicæ necessitatem, tum circa personam Messîæ, qui confestim post Apostolorum obitum in ipsa illa hierosolymitana ecclesia, Pellæ tum commorante, aperte prorupit, binasque istas factiones *Nazaræorum* & *Ebionæorum* peperit, jam inde a primo rei christianæ initio, & ipsis adhuc Apostolis superstitionibus inter Judæos ad Christum conversos serpebat, & modo aperte caput exserere conabatur, modo tecte & per cuniculos quasi. Utrumque etiam Apostoli quavis oblata occasione gravissimis profligant verbis, & ex Christianorum animis evellere student. Quemadmodum enim *Paulus* Apostolus priorem imprimis errorem ubique fere aggreditur; ita apud *Joannem* præcipue multa occurrunt loca, quæ corruptæ horum hominum doctrinæ de Messîæ persona tam aperte opposita sunt, ut nemo ingenuus homo, qui clarissimis rebus tenebras offundere nolit, hac de re dubitare possit. Præter priores *Evangelii Joannis* versiculos *Cap. I.* præ cæteris huc pertinent i *Epist. C. II, 22. C. IV, 3. 2 Epist. 7.* Nec ab antiquissima Christianorum ecclesia, quæ proximè pertingit ad tempora Apostolorum, hæc effata unquam aliter accepta aut intellecta sunt. Vid. ex. gr. *Tertullianus de præscript.* c. 33. *opp. p. m. 101.* conf. *Ehreg. Dan. Collberg de orig. Heres. C. I. §. X. p. 29.* *Jo. Franc. Buddeus de eccles. apost. C. V. §. V. p. 440. ff. Ge. Bullus in judic. eccl. cathol. de necessit. credend. C. II. p. 29. 40.* & quæ præter reliquos commentatores, recentiores Critici ad illum ex *epist. I. C. IV.* locum disputant. Neque tamen apud ipsum b. *Paulum* nulla plane contra alterum hunc errorem occurrunt testimonia. Huc imprimis refero ex *Epist. ad Colof. C. II, 8. 9.* Sunt, qui totum hunc locum de Pharisæorum institutis, quæ nonnunquam, ut & aliæ hujus generis disciplinæ, a priscis *philosophiæ* nomine appellari soleant, atque propterea de priore tantummodo judaizantium Christianorum errore, interpretandum esse censent. Hanc tamen interpretationem, quanquam magnos auctores nostra etiam ætate



habeat, difficulter a me impetro, ut Apostoli menti convenire  
 putem. Utut enim cujuscunque sectæ & factionis instituta &  
 disciplinam, cujuscunque demum generis fuerint, atque sic &  
*Phariseorum, Sadducæorum,* immo totius judaismi præcepta,  
 nonnunquam *philosophiam* vocari, non negaverim; istud tamen  
 obstat, quo minus hanc significationem in istum Pauli locum  
 quadrare, mihi persuadere possim, quod vix unquam priscus  
 aliquis auctor, ne ipse quidem *Josephus*, cum ita simplici-  
 ter, ut hoc loco factum est, *philosophiæ* vocem poneret, judai-  
 cam istius temporis religionem, aut peculiarem aliquam Judais-  
 mi sectam intellexisse, ostendi possit: sed hoc casu semper adde-  
 re solent sectæ & disciplinæ proprium nomen, ex. gr. *Phariseo-  
 rum philosophia*. Reipsa Apostolus nihil dixisset, si quidem huic  
 voci hoc loco tam latum tribuisset ambitum, ut quameunque in-  
 stitutionem & disciplinam significet. Etenim hoc sensu ipsa chris-  
 tianæ religionis institutio *philosophia* antiquitus vocari consue-  
 vit: nec *Colossenses* intellexissent, quid sibi vocandum esset.  
 Quod vero continuo *την παραδωσιν των ανθρωπων, & τα σοι-  
 χια τε κοσμου* commemorat Apostolus, quibus postremis ver-  
 bis alias semper præcepta judaismi cætemonialia indicari viden-  
 tur; id quidem haud multum me movet. Nec enim phrasin  
 hanc, ut pro synonyma plane cum *philosophia*, aut pro *epexer-  
 gesia* hujus vocis habeamus, quidquam nos cogit. Potest Apo-  
 stolus binos errores perstringere, quos pari cautione evitandos  
 esse, Christianis præcipit. Ac re ipsa interpretationem ita insti-  
 tuendam esse, ea docent, quæ apud Apostolum sequuntur. Sa-  
 ne, qui ad ineptos quosdam homines, metaphysicas nonnullas  
 subtilitates in christianam religionem inferre conantes, præci-  
 pue in eas doctrinas, quæ de persona, muneribus & beneficiis  
 Messæ tractant, totum hunc Apostoli locum transferunt, ægre  
 mihi refelli posse videntur: tot sunt atque tanta hujus rei in to-  
 ta orationis serie vestigia atque indicia. Quæ ab utraque parte  
 dici possunt, ex diversis optimisque commentatoribus in unum col-

collecta invenies, præter b. Jo. Christ. Wolffii. *Cur. philol.* ad h. l. in *catena ista anglicana*, quæ doctissimis observationibus reu. Jac. Bruckeri aucta, ex *Breitkopfiana* officina Lipsiæ adhuc per partes prodit. Græcos philosophos tum temporis christianam religionem parum curasse, nec operæ pretium duxisse, ut de conjungenda ea cum suis visis cogitarent, facile largior. At fuisse inter ipsos Judæos isto ævo haud exiguum hominum numerum, qui philosophiam aliquam orientalem & ægyptiacam ad explicandam gentis suæ theologiam afferrent, non *Essenorum* & *Kabbalistarum* solum, sed & *Ophitarum* exemplum abunde nos docet: qui quidem omnes non tam ratiociniis, quam traditione, confidensque libris nitebantur, quos ab illustrissimis quibusque antiquitatis viris profectos esse dicebant. Horum aliqui, cum christianæ religionis aliquam acciperent notitiam, Jesumque Nazarenum verum esse Messiam convincerentur, eam doctrinæ formulam, quam antea jam ex judaismo & philosophia ista conflaverant, ad Christianismum adferebant, huncque ex illa temperare & explicare studebant. Ad hoc hominum genus respexisse Apostolum, magna omnino in ipso textu adsunt argumenta, nec facile hac de re dubitari potest, si Apostoli disputationem cum istorum hominum præceptis libero animo conferamus: id quod *Bruckerus* l. c. luculenter, ut opinor, ostendit. Conjungebant hi homines cum istis erroribus, personam Messiae attinentibus, plerumque & dogma istud, de necessaria observatione legis mosaicæ. Hinc Apostolus una orationis serie utrumque errorem complectitur & perstringit. His ita positis, vetusculi imprimis 9. talis prodibit sensus: *quod ad Messiae personam attinet, in isto habitare non inferiorem aliquem divinum æonem, ut isti philosophi præcipiebant: sed ipsam illam divinam naturam, quæ olim Schechinæ nomine majestatem suam in tabernaculo & templo manifestaverat, totamque domum gloria repleverat, & Deus Israelis vocabatur: nec hanc inhabitationem nudam tantum præsentiam aut exteriorem adstantiam complecti, qualis*



*Schechinæ præsentia in templo fuerit, sed esse intimam & personalem; ut Deus humanam naturam simili modo inhabitet & animet, quemadmodum anima corpus suum. Cæterum si vel maxime quis adduci haud possit, ut a Phariseorum disciplina in hoc Apostoli loco interpretando discedat; istud certe nullo modo affirmare poterit, sola moralia & cæremonialia instituta ab Apostolo perstringi: nimis aperte enim, præter traditiones cæremoniales, de doctrinis quibusdam theologicis differitur, quæ ad Mesix personam, ejusque officium mediatorium, modumque, quo per eum salvemur, pertinent. Hinc saltem tota istius temporis judaica & pharisaica theologia ad interpretandum hunc locum transferri debet, nec contra necessitatem legis & traditionum humanarum tantum, quas pharisei tuebantur, sed & adversus corruptas eorum notiones de Mesia, Apostolum disputare fateamur necesse est. Qua quidem ratione fateor, totum locum de *Phariseis* quodammodo intelligi posse, & *versiculus* 9. tunc quidem præcipue ad intimam divinæ & humanæ naturæ conjunctionem adstruendam contra judæorum corruptelas pertinebit: *Schechinam, sive Deum Israelis, in Mesia non eo exteriori modo præsentem esse, quo olim in templo, quod judæi & Pharisei imprimis fingeant; sed personaliter, intime, & perpetuo.* Ego tamen, quod ad me attinet, priorem interpretationem longe prætulerim. Sed hæc hæcenus.*

VI. Nec igitur opus est, ut, cuinam peculiari homini aut factioni Apostolorum disputationes oppositæ fuerint? anxie disquiramus. Græci latinique patres, rerum judaicarum haud fati gnari, quidquid turbarum in ecclesia apostolica exortum est, ad certum quendam hominem, aut factionis cujusdam caput, referendum esse putabant. Sed hac in re procul dubio vehementer fallabantur. Argumento sint, quæ de antiochenis turbis, aliisque hujus generis contra pseudoapostolos institutis disputationibus nonnulli perperam perhibent, quasi *Cerinthus* omnium harum rixarum fax & tuba fuerit. Interim & recentiores nonnunquam  
eru-


eruditi viri, patrum exemplum imitati, nimis sollicitè videntur laborare, ut cuius disputationi in Apostolorum scriptis obviam, singularem aliquem hominem aut sectam tanquam auctorem litis assignent. Inde controversiæ istæ, ut, quem nunc alter Apostoli adversarium ponit, contra quem disputatio instituta sit, alter ex temporum rationibus aliisque argumentis refutare, aliumque adversarium indicare studeat. Sed mihi quidem, ut huc descendamus, in plerisque casibus non necessarium & inutile plane videtur. Exstitit in ipsa primitiva ecclesia judæo-christiana magna multitudo ejusmodi hominum, qui quamvis in ecclesia apostolica versarentur, illiusque membra essent, pertinax tamen disciplinæ patriæ studium adeo non poterant exuere, ut potius, quo dogmata & præcepta a majoribus accepta statumarent, ipsam Apostolorum doctrinam passim data occasioe arrodere & violare haud vererentur, nunc auctoritatem necessitatemque legis mosaicæ commendando, nunc periculosas opiniones, quas ab adolescentia in Rabbiorum suorum scholis audierant, de persona Mesia ejusque divina natura, proponendo. In hoc quidem hominum genus ea, quæ *Joannes*, in epistolis certe, habet, multo melius convenire, quam in alias ab ecclesia remotas sectas, *versiculus 19. Cap. II. prioris epistole*, abunde nos docet. *Cerinthum* enim, aut aliud quoddam primarum factionum gnosticarum caput, unquam in ecclesiæ apostolicæ communionem versatum esse, probari non potest. Isti vero homines, contra quos Apostoli passim pugnare videntur, dispersi primum inter Christianos vagabantur, nec Apostolis superstitibus tantum virium acquirebant, ut justam aliquam sectam condere possent aut velent. Sed post Apostolorum obitum aliter res accidit. Ab his ipsis enim hominibus, quod ex commentatione nostra *prima* constat, magna ista secessio initium habuit, qua judaizantes Christiani reliquorum communionem relinquerent, resque suas sibi habere inciperent, *Nazaræorum & Ebionæorum* nomine adscito. Hi quidem vulgarem judæorum theologiam sequebantur: at eodem



dem tempore & illi judæi, qui gnosticis infecti erant deliriis, ecclesiam judæo-christianam sensim corrumpendi ansam & occasionem nacti sunt. Conf. *Hegesippus* ap. *Euseb. Hist. eccl.* L. IV. c. 22. Hinc & multa occurrunt Apostolorum loca, quæ præter vulgares judæicas opiniones, gnosticorum etiam errorum seminibus tunc passim sparsis aperte videntur opposita est.

VII. Adhuc eminus quasi pugnavimus, atque ex hominum temporumque rationibus concludendo circumspeximus, quomodo secundum probabiles conjiciendi leges de *Ebionæorum* dogmate statuendum sit. Nunc vero pressius agamus. Ipsi *Ebionæi* nostri in medium prodeant, & fidei suæ edant professionem. Admodum pauca horum hominum monumenta, temporum injuriam effugientia, ad nos perlata sunt. Quod si vero in his paucis tenuibusque reliquiis nihil insit, quod nos cogat fateri, a reliquis ipsos iltius temporis factiosis hominibus, qui ejusdem generis, ejusdem originis, ejusdemque, quod ad summam rei attinet, disciplinæ fuerunt, in hac doctrinæ ad Mesix personam pertinentis parte discesse, sed si potius cuncta cum istarum reliquarum factionum præceptis pulcre consentiant; nemini a præjudicii vacuo homini obscurum fore arbitror, quomodo de *Ebionæorum* doctrina sit pronunciandum. Præcipuus huc spectans locus fragmentum quoddam est, quod *Epiphanius* ex *Ebionæorum* evangelio posteritati conservavit, *Heres.* XXX. C. XIII. opp. T. I. p. m. 137. Integrum locum habes & apud *Fabricium*, *cod. apocryph.* N. T. P. I. p. 346. ff. Nos ea tantum compendii gratia latinis verbis transcribemus, quæ ad rem nobis propositam proxime attinent. *In eo, quod penes illos, Ebionæos, est Matthæi evangelio, inquit Epiphanius, ita scriptum est: fuisse certum hominem nomine Jesum, annorum circiter triginta, qui nos, Apostolos, elegerit --- factum est in diebus Herodis regis Judæe, ut veniret Joannes baptizans baptismo pœnitentiæ in Jordane fluvio --- & egrediebantur ad illum omnes. --- Baptizato populo venit & Jesus, & a Joanne baptizatus est. Cumque adscendisset ex aqua,*  
aper-

aperti sunt cæli, & vidit Spiritum Dei sanctum columbæ specie descendentis & intrantis in sese. Et vox reddita de cælo dicens: Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacui. Et iterum: Ego hodie genui te. Statimque eo in loco lux ingens affulsit. Qua conspecta Joannes sic eum alloquitur: Tu quis es Domine? Rursumque lapsa vox de cælo: hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. cæx. In his ejusdem theologiæ ad Judæorum corruptelas attemperatæ, qua Nazareos imbutos fuisse docuimus, de Jesu nudo homine usque ad trigesimum ætatis annum, & de conjunctione divini Messæ, sive Schechinæ cum ipso, tempore baptismi demum illustri modo facta, tam aperta sunt vestigia, eademque dogmata iisdem verbis tam manifesto proponuntur, ut ipse b. Mochemius hujus generis doctrinæ formulam in Ebionæis nostris ingenue agnoscat, Versuch einer unpartheyischen Ketzergesch. Th. I. Num. 8. p. 144. Sed operæ pretium est, ut hoc loco Epiphanium præcipue ulterius & attentius audiamus, qui plura, non equidem justa fragmenta, sed enunciata & dogmata tamen ex scriptis eorum refert, ita ut ex ipsius disputatione, quam l. c. de Ebionæis instituit, plenus fere justusque commentarius in hoc evangelii ipsorum fragmentum confici possit. Equidem si nonnullos eosque doctissimos recentioris ævi viros audiamus, nemo ad suffragium hac in re ferendum Epiphanio minus idoneus ineptiorve est: qui, quoniam ipse non disfitetur, se Sampsæos & Elcesæos cum Ebionæis conjunxisse, omnes tacite monere videtur, ne semet ducem & magistrum adhibeant. Vid. Jo. Laur. Moshemii Institut. Hist. Christ. maj. Sec. I. P. II. C. V. §. 20. p. 478. Sed dummodo ipsum Epiphanii commentarium attento & libero animo inspiciamus, deprehensuros nos confido, paullo, quam par est, vehementius & durius istos magnos viros illius verba interpretari, nec tam levem contemnendumque hoc loco Epiphanium auctorem esse, quam isti nobis persuadere velint. Quod ad me attinet, excusare quidem ubique, aut defendere ipsum nolim. Satis negligenter nonnunquam in Ebionæorum re-



bus recensendis, ut aliis in locis, se gesit, non satis distinguendo dogmata, quæ ex ipsius sententia illis primitus fuerunt propria, ab iis, quæ postea demum ipsos suscepisse putat. Alias manifeste opiniones, quæ cum primis illorum dicetis cohærent, ex incitia & ignorantia antiquitatum judaicarum tanquam postea demum adscitas describit. Quod totum ipsi deinceps clarum reddemus. Sed utut hæc ita se habeant, magna tamen cautione opus esse arbitror in exquirendis antiquorum temporum & hominum rebus, ne auctores, quos alioquin, ubi nihil nobis officunt, sine difficultate sequimur, ita simpliciter repudientur vituperenturque, ut ne hilum quidem fidei ipsis videatur relinqui, simulæ nonnulla narrant, quæ sententiis nostris semel animo conceptis refragari videntur. Quod quam sit periculosum, ingenisque litteris & solide doctrinæ inimicum, nonnulli nostræ ætatis homines suo exemplo nos condocere cœperunt, qui hac ipsa via totam prisca ævi historiam, quatenus portentosis suis erroribus ea repugnat, eversum eunt, id agentes, ut loco rerum vere gestarum conjecturas nobis obtendant subtiles & vanas, quibus, si res ita accidisset, reliquas suas sententias confirmari putant, sicque non historiam, sed somnia scribere satagunt. Ut cunctos auctores, sine quorum testimonio ne sciremus quidem quidquam prisca rerum, quorumque fidei necessario aliis in locis concedimus, simul & conjunctim loqui jubeamus, deinceps vero eam rerum gestarum faciem animo concipiamus, quæ cum cunctorum auctoritate optime consentit, nisi quem aperte falsum esse aut fefellisse demonstrare possimus, ratio & rei ipsius natura a nobis postulat. Pari modo igitur & hoc loco cum *Epiphano* agamus. Videamus, quid in iis, quæ de *Ebionæis* perhibet, cum reliquis scriptoribus conciliari possit: quid temporum hominumque istorum reliquis rationibus conveniat: aut quam in re istis & sibi met ipsi *Epiphanius* repugnare videatur, & unde error ipsius falsaque rerum ebionitarum descriptio oriri potuerint? sicque demum rebus omnibus attente ponderatis

*Epi-*

*Epiphanius* auctoritatem ad illustrandum *Ebionæorum* dogma, præcipue quod ad istud evangelii ipsorum fragmentum attinet, caute & prudenter transferamus. Quid igitur *Epiphanius*? Primo ne istud quidem dicit, quod, ut paullo ante retuli, viri nonnulli docti ipsum dixisse perhibent. En ipsa illius verba! postquam l. c. Cap. III. monuisset, *Ebionæos* primis temporibus præcipue in hoc tantum errore versatos esse, ut *Christum e viri semine genitum esse putarent*, quod secundum *Cerinthi & Carpocratæ* sententiam, cum quibus hac in parte conspiraverit *Ebion*, intelligendum esse, jam antea Cap. II. disertis verbis testatus erat; pergit: *verum aliquanto ab hinc tempore in hodiernum usque diem, qui ejus, Ebionis, errorem secuti sunt, animis eorum in absurda ac perplexa quedam abreptis, alii aliter de Christo pronunciant.* Ac suspicari fane licet, ταχα δε οίμαι, ab eo tempore, quo se *Elxai* illis adjunxit --- ab eodem edoctos, confictum de *Christo ac Spiritu sancto, nescio quid, effutire cœpisse*. Vides, *Epiphanium* non dicere, se certum & exploratum habere, quod *Ebionæi* nonnulla ab *Elxai* isto acceperint, sequere hæc, quæ ab *Elxai* profecta sint, data opera & prudentem cum præcis *Ebionæorum* dogmatibus conjungere & una serie exponere: sed cum nonnulla apud *Ebionæos* sui temporis deprehendisset, quæ præter prius istud de naturali *Messie* nativitate dogma sequenti demum tempore ab iis aliunde assumpta esse putabat; fatetur tantum, se fere suspicari, ab *Elxai* quodam istos his in rebus edoctos fuisse. Quod certe longe aliud quid est, quam prius istud, quod *Epiphanius* dixisse perhibetur. Licet enim nunc quidem inquirere, quam facultatem ipse nobis *Epiphanius* his suis loquendi formulis concedit, utrum & quatenus ipse recte & cum ratione suspicatus sit? si quid peccavit *Epiphanius*, quod omnino ipsi passim accidisse negari non potest; error ipsius, mea quidem sententia, in eo potissimum versatur, quod non satis perspectis antiquissimis *Ebionæorum* rationibus, nonnulla decreta apud ipsos suo ævo vigentia, quæ ad prima eorum



initia referenda erant, novitatis suspecta haberet. Sed hoc quidem, iis, quæ ipse *Epiphanius* reliquique auctores de genuinis *Ebionæis* narrant, cum his dogmatibus attente & accurate comparatis, satis verisimili ratione emendari potest. Deinde ipse *Epiphanius* istud de *persona Mesia* dogma, ex illorum numero, quæ ab Elxai demum profecta sint, exceptum esse vult: in isto enim a primis statim temporibus Ebionæos similem aliquem errorem cum *Cerintho*, immo cum *Nazaræis* fovisse, tum hoc, quem modo protulimus loco, tum alibi, ex. gr. C. I. & II. differte asserit. Nonnunquam in referendis Ebionæorum sententiis verbis significat expressis, hoc vel illud præceptum illis aut inde ab initio proprium, aut deinceps demum adscitum esse. Distinguenda igitur sunt dogmata, quæ *Epiphanius* Ebionæis tribuit, ac si illorum aliquod primis illorum rationibus conveniat & ex his commode explicari possit, secundum ea, quæ reliqui præfati auctores, & ipse *Epiphanius* de primitiva illorum doctrina testantur; ad illud sine ullo jure & ratione transferretur ista suspicio, an fortasse postea demum ab Elxai introductum sit? Hoc enim casu suspicio ista locum habere non possit, si vel ipse *Epiphanius* in ejusmodi opinione versatus esset. Ipsum enim fateri deberemus, antiquissimas *Ebionæorum* res non satis attente considerantem, ut novum dogma accepisse, quod ex ipsius narratione ad prima hujus factionis initia referendum erat. Atque id quidem re ipsa non *Epiphanius* solum, quod paullo infra manifeste patebit, sed aliis etiam scriptoribus haud raro accidit, ut, cum totam coherentiam nexumque disciplinæ alicujus non satis accurate perspiciebant, his vel illis dogmatibus alienum plane sensum tribuerent, longissimeque eadem, nescio a quibus fontibus repeterent, cum proxime in ipsis factionis alicujus initiis & reliquis præceptis domesticam habeant, commodissimamque originem & interpretationem.

VIII. De Elxai quidem isto ipsiusque conjunctione cum *Ebionæis* nostris, in universum cuncta admodum dubia & incerta videntur


videntur, quæ præsci commemorant. *Epiphanius* ipsum *Traiani* imperatoris tempore vixisse perhibet, *Heres. XIX. C. I. Origenes* vero apud *Eusebium Hist. eccl. L. VI. c. 38.* paullo serius eundem videtur collocare. Ac omnino dubitare licet, an unquam *Elxai* aliquis in rerum natura exstiterit. Certe *Just. Jos. Scaliger*, apud *Dionys. Petavium* in *animadvers. ad Epiphan.* p. 37. *Elxai* nomen quoddam commune & appellativum, ut vocant, contendit esse, & idem valere, ac *Esseum* sive *Essenum* quendam. Aliam conjecturam, quæ eodem fere redit, affert *Jac. Rhenferdus* in *dissert. sæp. laudata, §. 58. ff.* quem sequitur *Petr. Zornius opusc. f. T. I. p. 542. ff.* Eodem igitur fere modo se res haberet cum *Elxai*, ac cum *Ebione*, quem nunquam exstiterit, sed ex imperitia a præscis nonnullis auctoribus nomen commune totius alicujus factionis in hominis alicujus singularis appellationem mutatum esse, multi affirmant. Sed mittamus hæc, & *Elxai* hominem quendam fuisse concedamus, eam potissimum ob rationem, quia liber aliquis antiquitus ab ipso *Epiphanio* lectus exstitit, qui hujus auctoris nomen in fronte gerebat. Istud vero summam habet verisimilitudinis speciem, hominem istum ex *Esfenorum* numero fuisse, nec novi quidquam, præter ipsa illa dogmata jam antiquitus inter *Esfenos* cognita, in medium attulisse. *Osfeni* enim isti & *Sampsæi*, inter quos *Epiphanius* narrat *Elxai* illum vixisse, ipsi *Essei* sive *Esfeni* videntur esse. Ad rationes a *Scaligero* jam allatas istud accedit, quod alias *Epiphanius* celeberrimæ hujus sectæ, quæ inter judæos latissime patebat, plane nullam injecisset mentionem. Hoc vero ut credam, a me impetrare vix possum; cum cæteroquin *Epiphanius* longe minutiores & obscuriores judæorum sectas studiose persequatur. Nec in ullam aliam sectarum ab *Epiphanio* recensitarum ista quadrant, quæ de præscis *Esfenis* narrantur, quam in hocce *Osfenos* & *Sampsæos*: nec in illis, quæ de ipso *Elxai* refert *Epiphanius*, alia fere occurrunt *gnosticismi* semina & vestigia, præter ea, quæ inter *Esfenos* vixisse, omnes fatentur. Quas enim ex illius libro fabulas nar-



rat *Epiphanius*, de figura & dimensione *Messiae* & *Spiritus* s. non tam *gnosticismum* peculiari modo sapiunt, quam male sanæ & de statu dejectæ imaginationis vim, quæ somniis quibusdam priscam judæorum theologiam corruperat. Nec ullam quidem cum christiana religione conjunctionem *Elxai* isti intercessisse, probari potest, ipseque fatetur *Epiphanius* l. c. cap. 3, nulla se hujus rei vestigia in *Elxai* libroprehendisse. Exceptis istis deliriis, quas modo indicavi, Essenorumque propriis erroribus, cæterum *Elxai* videtur nudam vulgaremque judæorum theologiam proposuisse, si ex iis res dijudicari debet, quæ *Epiphanius* Cap. III. & IV. ex isto libro retulit. Simpliciter *Messiam* vocat *magnum istum regem*, & in precationis formula ab *Elxai* præscripta, quanquam in ea interpretanda insignem prodat hebraicæ linguæ imperitiam *Epiphanius*, haud levia tamen, si vel quoad sensum reliquis *Elxai* opinionibus *Epiphanii* interpretationem conformem esse putemus, occurrunt indicia, de officio *Messiae* eatenus istum bene recteque sensisse, quatenus in istius temporis theologia judaica vulgari reliquæ adhuc satis expressæ & luculentæ veri dogmatis restabant, sublaturum scilicet *Messiam* tristes infelicesque lapsus adimitici fructus, destructurumque potestatem peccati & satanæ. Abhorret igitur, si quid video, *Epiphanii* suspicio, quasi *Ebionæi* disciplinam suam ab hocce homine corrumpi & in deterius mutari, passi fuerint, ab omni similitudine veri. Quid enim quæso eos adducere potuisset, ut ab homine, a christianæ ecclesiæ communionem plane alieno & remoto, corrumpi se paterentur? Etiam temporis ratio, quo *Elxai* vixisse ipse *Epiphanius* perhibet, cum ejusmodi suspicione conciliari aut consistere vix potest. Etenim *Trajani* ævo *Ebionæi* ne peculiarem quidem sectam adhuc effecerant, sed latitabant tantummodo sparsim semina ipsorum in ecclesia primitiva judæo christiana, *Pelle* tum commorante. Hoc magis autem hæc *Ebionæorum* accusatio ab *Epiphanio* instituta fidem amittit, quod idem ille ipsis *Nazaræis* plane simile crimen impingit, ipsosque pari modo affirmat ab *Elxai* dece-

deceptos longiusque a vero abreptos fuisse, l. c. C. V. Quod tamen ex ipsius *Epiphani* disputatione, quam *Hæres. XXIX. de Nazareis* instituit, refelli potest, utpote in qua ne levisimum quidem alicujus ex *Elxai* disciplina exorti erroris occurrit vestigium, & reliquis auctoribus, qui *Nazaræorum* res melius noverrant, repugnat. Dicam aperte, quomodo tota hæcce res accidisse, undeque *Epiphani* conjectura, justo cæteroquin fundamento destituta, mihi orta esse videatur. Procul omni dubio in prima statim hierosolymitana ecclesia inter judæos christianam religionem amplexos multi latitabant, qui *Esfenorum* imbuti erant opinionibus. Hoc ut credamus ipsa apostolica scripta & rerum in ecclesia apostolica gestarum monumenta, persuadere nobis & possunt & debent: id quod dudum a doctissimis viris, *Hammondo*, *Moshemio*, *Bruckero*, *Michaëlis*, aliisque observatum & late disputatum est. Cum vero secessio ista accideret, qua *Ebionæorum* factio oriebatur; etiam hujus generis homines, quos tenebant esfenos errores & somnia liberius inter Ebionæos spargere & proponere potuerunt. Nec post factam secessionem a judaismo sensim nonnullos ad Ebionæorum partes se aggregasse, a verisimilitudine abhorret, & *Symmachi*, celebris istius sacræ scripturæ interpretis exemplo comprobatur. In his quis dubitare facile possit, fuisse etiam, qui ex *Esfenorum* schola prodierant, aut qui cabbalisticis deliriis, cum Esfenorum dogmate magnam cognationem habentibus, & late jam tum temporis inter judæos adamatis, capti erant. Hinc accidit, ut in hac secta præter vulgarem judaicam theologiam, quam plerique, utpote indocta plebs, sequebantur, etiam commenta esfenica & cabbalistica passim vigerent. Aliquando plus in his ratiociniis inesse, quam nudam rei possibilitatem, istos deprehensuros confido, qui antiquissimas judæorum res, primasque rei christianæ origines & statum norunt. *Epiphanius* igitur, cum inter *Ebionæos* sui temporis præter antiquissimas primitivasque istas opiniones, quas pleraque pars e vulgari judaica theologia attulerat, depre-

hende-



henderet etiam nonnulla, quæ cum hominis alicujus effeni libro a se lecto magnam cognationem & similitudinem habere viderentur, nec tamen antiquissimas verasque hujus sectæ rationes fatis nosset, aut intelligeret, unde ad Ebionæos ejusmodi dogmata pervenerint; facile in eam descendit conjecturam, ab hoc effeno homine demum istos his erroribus captos & imbutos fuisse.

IX. Sed judicet hac de re quisque, uti volet, nec attinet quidquam, ut his diutius immerer. Sit ita, ut *Ebionæi* posteriori demum tempore nonnulla ex *Elxai* istius præceptis ab aliisque factitionibus assumpta disciplinæ suæ admiscuerint; præcipua tamen quæstio adhuc discutienda relinquitur, an ista ex ipsius *Epiphanii* narratione a primitivis genuinisque Ebionæorum dogmatibus discernere, sicque hoc ipso duce, non obstante illa quam affert suspicione, multa ad illustrandam veram antiquissimorum *Ebionæorum* sententiam cum insigni veritatis specie adferre possimus? Percurramus igitur *Epiphanii* commentationem, & videamus, quid rerum ebionitarum per ea, quæ ipse affert argumenta, & per reliquorum scriptorum auctoritatem, primis antiquissimisque Ebionæorum rationibus conveniat? aut quid novitatis suspicione laborare merito censeri debeat? *Primo* statim capite *Heres. XXX. Epiphanius* longam instituit declamationem, quam horrendum fuerit *Ebion* monstrum, qui ex cunctis propemodum omnium hæreticorum lacunis errores suos comportaverit, & multiformem inde luceque cassam conflaverit disciplinam. Si *Epiphanium* audimus, pauper iste homo, sive *Ebion*, *Samaritanus*, *Judeus*, *Osseus*, *Nazaræus*, *Nasaræus*, *Cerinthianus*, *Carpocratianus*, fuerit: quorum omnium erroribus tegendis christiano nomine abutebatur. Sed his declamationibus, quæ horrorem fere incutiunt, nemo prudens facile, confido, multum moveri se patietur. Nec *Ebion* ipse, si unquam aliquis hujus nominis homo exstitit, nec pleraque *Ebionæorum* pars, gens illiterata ex Judæorum fæce exorta, ii videntur fuisse, qui

qui his speculationibus incumberent, indeque subtile aliquod artificiosumque & constans systema conficerent. Refragantur & temporum rationes, aliaque argumenta multa, quæ ut copiosius edisseram, vix opus esse arbitror. A vero haud abhorret, cum *Ebionæi*, ut paullo ante monuimus, permixta quædam turba & colluvies ex vario judaismi genere essent, ut sensim nonnulli inter eos deprehenderentur, qui a *Samaritanis* ad ipsos deficerent, & more ingenii humani multa pristinæ suæ disciplinæ somnia nihilo secius retinerent, inter Ebionæosque in medium afferrent: id quod nonnulla facile nobis persuadent, quæ *Epiphanius* de *Ebionæis* sui temporis commemorat & cum Samaritanorum dogmatibus magnam cognationem habent. Quo pertinent, quæ de reiectis ab *Ebione* reliquis prophetis post *Josue* tempora, *Cap. XVIII.* differit. Sed hæc nec prioribus, nec posterioribus *Ebionæis* cunctis, videntur crimini dari posse; cum apud antiquiores scriptores ne levisimum hujus criminationis vestigium occurrat. Ad alias nonnullas factiones quod attinet, cum quibus *Ebionæos* consensisse *Epiphanius* putat; tota fortasse res ad similitudinem quandam dogmatum redit. Cum enim non solum apud *Essenos*, quorum nonnulli inter *Ebionæos* vivebant, sed in ipsa populari judæorum theologia multa deprehenderentur, quæ quis, si iniquius ea interpretari velit, cum *gnosticis* somniis facile comparare possit; deceptus *Epiphanius* ista similitudine, hæc re ipsa a *gnosticis* ad *Ebionæos* manasse putavit. Potuit fieri, ut *Ebionæi* nudam simplicemque vulgaris theologiæ judaicæ rationem retinerent & sequerentur, ac hæresifex aliquis nihilo secius in ipsorum dogmatibus multa invenire queat, quæ cum omnibus reliquis sectis & hæresibus convenire conjunctaque esse videantur. Atque id quidem *Epiphanius* hac in parte re ipsa accidisse, ex iis comprobatur, quæ deinceps capitibus sequentibus *Ebionæis* tanquam a *Carpocrate* accepta dogmata tribuit, in quibus sanè nihil, præter levem aliquam simili-

d


tudi-



tudinem, quæ inter utrosque intercefferit, deprehendas. Nec ignorant eruditi, quam multa alia falso *Ebionæis* apud præscos scriptores imputata, aut iniquius certe accepta sint, ex incitia & ignorantia antiquissimarum rerum tum judaicarum, tum ipsarum ebionitarum. Vid. *ven. Walchii Entwurf einer vollständigen Historie der Ketzeren*, P. I. pag. 116.

X. Sed pergamus *Epiphanium* audiendo. Cap. II. nonnulla profert, quibus *Ebionæorum* consensum cum *Samaritanis* demonstrare satagit. In his præcipue studium, quotidie se lavandi evitandique contactum impurorum hominum, aliasque hujus generis fuites purificationes commemorat. Hæc vero, quantum *Samaritanos* nonnullos inter *Ebionæos* fortasse vixisse, jam supra concesserim, mea quidem sententia ex *phariseorum* disciplina æque pulcre derivari possunt, nec quidquam probant, quam *Ebionæos* præter scriptam legem etiam traditionum judaicarum tenacissimos fuisse. Cap. III. *Epiphanius*, postquam eam, de qua paullo ante disputavimus conjecturam de *Ebionæis* per *Elxai* demum aliquem corruptis attulisset, præcipua nonnulla recenset dogmata, ad doctrinam de Christi persona pertinentia, quibus *Ebionæos* istius temporis imbutos fuisse dicit. *Nonnulli ex iis*, inquit, *Adamum fuisse Christum prædicant, illum inquam Adamum, qui primus a Deo formatus ejusdem est animatus afflatu. Alii a cælo Christum esse confitentur, sed ante omnia creatum, & Spiritum esse quendam, angelisque præstare, atque omnium rerum dominatum tenere, appellari porro Christum: qui cum perpetuam illic habitationem sortitus sit, quoties libuerit, in hæc infima delabitur, quemadmodum in Adamo descendit, ας καί εν τω άδαμ ηλθε, & patriarchis corpore circumfusus apparuit, velut cum ad Abrahamum, Isaacum & Jacobum adiit. Idem denique postremis temporibus venit, Adami corpore contactus, & homo visus est, in crucem sublatus resurrexit & ascendit in cælum. Rursus; ubi libuerit, ita sese rem*  
habe-

habere negant, in eumque duntaxat sese infudisse sanctum Spiritum, qui est ipse Christus, eumque, qui Jesus vocatus est, induisse. Magnam confusionem in hac Epiphaniï disputatione quemlibet primo statim intuitu deprehensurum arbitror, qui vel exiguam aliquam antiquæ judæorum theologiæ notitiam habet. Secernit Epiphanius tanquam diversas sententias, quæ aperte eadem sunt: opponit, quæ conjungenda erant: inique & perverse interpretatur, quæ ex istorum hominum sententia longe tolerabilior em fortasse habent sensum, & si omnino aliqua opinionum diversitas in hac factione agnosci debet, minus recte tamen Epiphanius exponere videtur, quibusnam in rebus ea versata, aut quo sensu interpretanda sit. Istud primo loco inficiari facile nemo poterit, aperta occurre luculentaque vestigia, quod multi saltim Ebionæorum Epiphaniï tempore præscam genuinamque adhuc judaicam theologiam eodem modo & sensu retinuerint, quo primis statim temporibus hæc factio eam ad christianam religionem secum attulerat, ut nimirum æque ac fratres ipsorum, Nazaræi, Spiritum s. super Jesum hominem coelitus delapsum divinum istum cœlestemque Messiam, sive Schechinam, esse statuerent, qui cum Messia homine sese conjungens prophetarum vaticinia & promissiones executus sit. Qua quidem in re nihil docebant, præter istud, quod ab antiquis jam temporibus in ipso evangelio suo, uti supra vidimus, tradiderant. Conferas infra apud Epiphanium Cap. XIV: *Jesum, ut diximus, merum hominem extitisse putant, Christum vero in eo fuisse illum, qui columbæ specie sit illapsus cum eo-que conjunctus, id quod aliis insuper hæresibus placuisse reperio.* Hæc igitur, cum ex ipsis evangelii ipsorum verbis desumpta sint, & cum Nazaræorum, hominum ejusdem originis, rationibus ex arte convenient, ut ipse Epiphanius innuit; ineptum foret, si quis Epiphaniï conjecturam huc transferre, hocque dogma ab Elxai denum ad Ebionæos manasse, opinari velit. Æque sine



ratione id quidem fieret, ac si quis contendat, *Ebionæos* doctrinas de passione, morte, resurrectione & ascensione Messia in cœlum ab *Elxai* quodam demum accepisse. Tuto igitur ex his colligere possumus, quo sensu *Ebionæi* Jesum nudum hominem dixerint: eodem nimirum, quo *Nazaræi*, eaque ratione, ut propterea divinam Messia naturam nullo modo tollerent, sed adstruerent potius & affirmarent vehementer; quamquam unionis personalis rationem male interpretarentur. *Deinde* in his *Epiphani* verbis haud levia mihi deprehendere videor indicia, *Ebionæos* de ista Messia divina natura præclare admodum sensitisse. Plane enim antiquorum judæorum & *Nazaræorum* more ipso egregia ista Mosis & prophetarum loca, de angelo Jehovæ, qui sit ipse Jehova, Deus Abrahami, Isaaci, & Israelis, Deus fœderis & Schechina, habitans inter Israelitas, ad Messiam transtulisse videmus; cum apparitiones istas divinas patriarchis factas de divina Messia natura interpretati sint. Discernere igitur debuisset *Epiphanius* hoc antiquum *Ebionæorum* dogma, quod inde a prima sua origine ex theologia gentis suæ secum attulerant, a periculosis illis opinionibus, quas nonnulli ipsorum fortasse admiserant, ut Messiam, quanquam angelis præstantiorem, ad creaturarum tamen sortem detruderent. Occurrunt, fateor, in antiquissimis judæorum monumentis similes passim periculosa sententiæ, unde colligi posse videatur, haud multo præclarius in priscorum judæorum theologia de divina Messia natura disputatum fuisse, quam a crassioribus deinceps *Arianis* factitatum est. Sed falso tamen id crimen priscis quidem judæis imputaretur. Incaute & imprudenter nonnunquam loquuntur; sed ipsi semet emendantes & corrigentes gravissime alibi protestantur, non creaturam se putare Messiam, sed longe sublimiori modo ipsum a supremo Patre ortum esse, quam qui in ullam rem creatam cadere possit. Fieri potuit, ut nonnulli *Ebionæorum* incautas istas sententias retinerent, atque serio de Messia  
tam

tam abjecte sentirent, sicque Arianorum præcursores fierent. Sed reliquos *Ebionæos* hac in parte innocentes fuisse, tum ex eo patet, quod, ut modo vidimus, prophetarum loca, de vero Deo Israelis procul omni dubio accipienda, ad Mesiam transferrebant: tum per ipsius *Epiphani*i verba idem supra omnem dubitationem ponitur. *Rursus*, inquit, *ubi ita libuerit, ita sese rem habere negant, in eumque duntaxat sese infudisse Spiritum sanctum, qui est ipse Christus.* Hæc correctio & emendatio prioris illius dogmatis, quam *Ebionæi* afferebant, non ad totum illud pertinere potest, quod antea *Epiphanius* de ipsorum sententiis dixerat. Non negabant *Ebionæi*, cum divinam Mesiam naturam ipsum Spiritum sanctum esse dicebant, quæ de passione, morte, resurrectione, aliisque hujus generis Mesiam rebus affirmaverant, nec præexistentiam divini & cœlestis Mesiam tollebant: sed ad illam quæstionem, *cujusnam nature sit ille divinus Messias?* tota illa emendatio, quam afferunt, prioris sententiæ, unice referenda videtur. Mihi quidem ex disputationis cohærentia apud *Epiphanium* hicce sensus sponte videtur & necessario nasci: *quanquam nonnulli Ebionæorum divinam Mesiam naturam in rerum creaturarum numerum referrent, alius tamen id quidem vehementer displicuisse, qui e creaturarum genere Mesiam eximentes longe sublimioris ipsam nature esse asseverent.* Denique & illud perspicuum esse arbitror, *Epiphanium* ex incitia linguæ *Ebionæorum* vernaculæ imperitiæque prisorum dogmatum, opiniones ipsorum nonnullas fecus ac iniquius, quam par erat, interpretatum esse. Huc sine ulla hæsitatione refero, quæ *Epiphanius* ex *Ebionæorum*, ut putat, sententia, de *Christo* fabulatur, fuisse illum, cum in has terras descenderet, *Adami corpore contactum.* Etenim quis non videat, *Ebionæos* hebraica, qua utebantur lingua, dixisse, Christum *hominis* contactum fuisse *corpore*: quod quidem *Epiphanius*, cum in ista lingua & *primus* homo, & quivis alius ex

genere humano *Adam* vocetur, male de primo homine accepit, quasi dixissent Ebionæi, Christum primi hominis corpus induisse. Fortasse & istud huc pertinet, quod *Ebionæi Christum in Adamo descendisse*, *Epiphanio* referente, statuerint. Quod enim confestim additur, *ipsum patriarchis corpore circumfusum apparuisse*, prioris illius enunciati verum sensum recludere mihi videtur, ut *Ebionæi* id modo videantur asseverasse, *Christum jam primo homini*, ut reliquis patriarchis, *apparuisse & cum eo versatum esse*: qua quidem in re nihil inest, quod a prisca judæorum theologia & ab ipsa veritate abhorreat. Quin & quod nonnulli ex Ebionæorum numero dicuntur nugati esse, *ipsum Adamum, illum nimirum, qui primus a Deo formatus est, fuisse Christum*, tolerabiliorem forte habere poterit sensum, si prisceas judæorum sententiâs loquendique formulas consulamus. Priscos enim judæos *Messia* divinam naturam *primi hominis*, sive *Adam kadmon*, appellatione haud raro insignisse, notum est. *Epiphanium* igitur & hoc loco Ebionæorum linguam male intellexisse, & quæ de ipso *Messia* Deo accipienda erant, ad creatum istum primum hominem traxisse, cum *Rhenferdo*, *Petrus Zornius* affirmat, *opusc. sacr. T. I. Num. XXX. §. VIII. p. 645.* Serpit equidem inter recentiores judæos commentum quoddam de primi hominis, *Adami*, anima, quod in *Messia* corpus sit transmigratura: sed num fabula ista tantam atatem ferat, vehementer dubito, nec in genuinis antiquissimorum judæorum monumentis aliqua illius clara vestigia me observare nemini. Nec etiam opus est, ut cum his ineptiis *Ebionæorum* dogma comparemus. Certe longe tolerabiliorem in his ipsorum disputationibus inesse sensum quam *Epiphanius* invenisse sibi visus est, ut suspicer, illud in primis me adducit, quod istis, ipso *Epiphanio* teste, infra Cap. XV. liber aliquis apocryphus, *Petri circuitus*, in pretio fuerit, quem librum, magna certe ex parte, adhuc sub *Recognitionum*

*num Clementis & Clementinorum* nomine exstare, inter eruditos convenit. At in his libellis dogma istud de primo homine, an & quatenus *Messia* similis fuerit? longe aliter sanisque proponitur, quam ab *Epiphania* factum est, facileque deprehendere possumus, quid bono patri fraudi fuerit, ut *Ebionaeorum* sententiam hac in parte tam inepte interpretaretur.

XI. Sed hæc, & reliqua, quæ ad absolvendum hunc, de *Ebionæis*, commentarium nostrum adhuc supersunt, proxima occasione exsequemur; si Deus benigne annuerit. Nostrum interea est, CIVES, magnitudinem excellentiamque divinorum beneficiorum grato animo agnoscere, qui in tanta nos collocavit veritatis luce, ut ex puro verbo Dei sine spinosis ambagibus recta via ad Christum, magnum istum Pontificem celestium rerum, accedere, & intelligere possimus, quis & quantus sit iste, qui ad reparandam salutem nostram de cælo descendit hominemque induit. Huc igitur animi vestri intentionem his festis diebus conferatis, monemus, ut summum hunc *Messia* amorem non auribus tantum percipiatis, aut cogitando complectamini; sed concedatis ipsi ipsum animum & mentem vestram, quo luce ipsius tota repleti & ad percipiendum ipsum fructum mirabilis hujus & divini operis, quod Deus appauerit in carne humana, pertingere possit: qui salutaris fructus in vera liberatione a reatu & dominio peccati, & impertienda beata immortalitate, versatur.

P. P.

BUETZOVII, IN ACADEMIA FRIDERICIANA,

SUB SIGILLO ACADEMICO,

IPSIS SOLEMNIBUS NATALITIIS CHRISTI.

MDCCLXVII.





33  
LBMV Schwerin  
000 630 772






Landesbibliothek  
Mecklenburg-Vorpommern  
Günther Uecker

[https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1837137358/phys\\_0036](https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1837137358/phys_0036)





the scale towards document



ommemorant. *Epiphanius* ipsum *Trajani* vixisse perhibet, *Heret.* XIX. C. I. *Origenem* *Hist. eccl.* L. VI. c. 38. paullo serius eundem. Ac omnino dubitare licet, an unquam natura exstiterit. Certe *Iust. Jos. Scaliger* in *animadvers. ad Epiphan.* p. 37. in commune & appellativum, ut vocant, non valere, ac *Essæum* sive *Essenum* quendam, quæ eodem fere redivit, affert *Jac. Saep.* laudata, §. 58. ff. quem sequitur *Perr.* p. 642. ff. Eodem igitur fere modo se resert cum *Ebione*, quem nunquam exstitisse, sed nonnullis auctoribus nomen commune totum hominis alicujus singularis appellationem affirmant. Sed mittamus hæc, & *Elxai* hominem concedamus, eam potissimum ob rationis antiquitas ab ipso *Epiphanio* lectus exstitit, nomen in fronte gerebat. Istud vero summiudinis speciem, hominem istum ex *Esfenoc* novi quidquam, præter ipsa illa dogmata *Esfenos* cognita, in medium attulisse. *Ossifæi*, inter quos *Epiphanius* narrat *Elxai* sive *Esfeni* videntur esse. Ad rationes autem hoc accedit, quod alias *Epiphanius* celebratæ inter judæos latissime patebat, plane nullam. Hoc vero ut credam, a me impetrato cæteroque *Epiphanius* longe minutiores eundem sectas studiose persequatur. Nec in ultimo *Epiphanio* recensitarum ista quadrant, quæ tantum, quam in hocce *Ossenos* & *Sampsæos*. Ipsi *Elxai* refert *Epiphanius*, alia fere occurrant & vestigia, præter ea, quæ inter *Esfenos* videntur. Quas enim ex illius libro fabulas nar-

c 3

rat